
Fratrum minor. Reformator. Conv. Cracovi.

Conclusiones Physicae.



CONCLVSIONES PHYSICÆ.

Ad Mentem Doctoris ſubtilis IOANNIS DVNS SCOTI.



I.

PHyſicâ ſecluſa Medicinâ, Alchimiâ, & ſimilibus facultatibus, eſt Scientia Speculatiua, habitualiter, & actualiter ſumpta, non eſt vna ſimplex qualitas, cuius biectum eſt ſubſtantia corporea completa, quatenus corpoea eſt. Prima principia rerum intrinſeca, quæ neq; ex ſe inuiem neq; ex alijs, ſed omnia ex ipſis fiunt, ſunt in facto eſſe. Materia & Forma, in fieri verò etiam Priuatio. Ex his mateia prima realiter diſtincta ab Elementis, non generabilis nec orruptibilis terminatiuè, datur, eſtq; primum ſubiectum, ex uo aliquid fit cum inſit, non ſecundùm accidens, & ſi corrumatur aliquid in ipſum abit vltimum.

II.

MAteria prima eſt pura potentia Phyſica, non tamen Metaphyſica, eſtq; actus entitatiuus in quem, & eius exiſtentiam on influit poſitiuè Forma. Subſtantialis, & ſine omni forma oteſt exiſtere ſupernaturaliter, recipit autem Formam Subantialem ſecundùm ſe immediatè, potentiâ formali receptia, quæ eſt proprietas eius quarto modo, radicaliter tamen ampta eſt de Eſſentia ipſius. Appetit omnem Formam ſubantialem, habitam vel habendam, etiam quoad rationes parculares ipſarum, magis tamen perfectiores imperfectioribus,

habitâ autem quauis perfectifsimâ adhuc appeteret imperfectiores, idq; eodem appetitu radicali, etiam diuersas specie, & ipsa est ejusdem speciei in omnibus vbicunq; datur.

III.

DAtur Forma substantialis, Estq; substantia incompleta nata actuare materiam, faciendo cum ipsa vnum per se, virtualiter solùm præexistit in materia actioni eductiuæ sui, quâ omnis forma educitur de potentia materiæ, præter Animam Rationalem. Duæ vero Formæ substantiales supernaturaliter tantùm possunt esse in eodem subiecto, sibi non subordinatæ, qualiter etiam vna Forma potest informare, duas Materias adæquatas. Extra subiectum verò, licet non eodem concursu quo in subiecto, potest tamen conseruari sine addito modo Perseitatis.

IV.

PRiuatio non debet præcedere formam in Materia tempore, sed sufficit naturâ, negatiuè saltem, vti principiat per suum non esse. Vnio etiam inter Materiam & Formã, realiter ab ipsis distincta, datur, Estq; Respectus extrinsecùs aduenieus, non Modus substantialis vel Accidentalis. Vna porro est materiæ ad Formam, Altera Formæ ad Materiam, in eodem composito substantiali, in quo Totum substantiale Physicum, distinguitur realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis, quas includit secundùm proprias rationes, cum distinctione reali mutua, ab ipsis, secus dicendum de Toto integrali, & per accidens.

V.

NAtura definitur; esse principium pafsiuum motus & quietis eius in quo est, primò per se, & non per accidens, secundùm quam definitionem Materia & Forma, conueniunt vniuocè in ratione Naturæ, similiter & Anima Rationalis, in quantum est principium Intellectionum & volitionum. Priuationes verò & Accidentia non item: Distinguitur autem natura ab Arte, quia

per

per se inest mobili, Ars verò per accidens, & quia mobile habet motum connaturalem à natura, non ab Arte. Causa est id, quod communicat esse alteri contingenter cum imperfectione dependentiæ. Diuiditur verò diuisione vniuocâ in membra realiter distincta, quæ non in omni effectu omnia requiruntur; scilicet in Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem.

VI.

CAusalitas Materiæ, respectu cuiuscunq; Formæ est vnio, quam DEVS non potest supplere, in Materia respectu Compositi. Causa Efficiens, quæ secundùm suum esse reale facit vt aliquid existat realiter neq; cum ipso (quâ talis) compositionem faciens, neq; ipsum componens: Eius causalitas in actu primo, est virtus causatiua ipsius, In actu verò secundo, est actio ipsa. Agentia sublunaria corporea, concurrunt ad aliquas substantias, quæ de nouo producuntur, Accidentia verò, nec partialiter immediatè producunt substantias, substantia autem producit in se aliqua accidentia, actione propriè dicta, corpus quoq; calidum calefacit aliud vi caloris non substantiæ.

VII.

COncursus DEI non est actio creaturæ, sed alia concomitans actio, estq; Physicè determinatus ad effectum in specie & indiuiduo: non datur alius indeterminatus & inefficax. DEVS concurrit ad effectus omnes causarum secundarum, immediatè etiam immediatione suppositi, & implicat quicunq; concursus immediatus creatus ad effectum sine concursu DEI. Absolutè verò Causæ secundæ non debent præmoueri à DEO per qualitatem vllam physicam ad effectus naturalis ordinis, determinantur autem ad indiuiduum actûs, intra eandem speciem à DEO, non tamen determinantur ab ipso causæ liberæ ad speciem actûs. Datur potentia obedientialis passiua in omnibus subiectis, ad quamlibet formam, independentem essentialiter à subiecto, Actiua verò in aliquibus tantùm ad aliquas.

VIII.

EXemplar seu Idæa est id (quod) respicit efficiens, dum agit vt similiter agat, estq; conceptus obiectiuus, & reducitur ad genus causæ Efficientis. Finis est id propter quod aliquid fit, estq; vera causa; eius causalitas in actu primo, est bonitas vera, saltem possibilis, non verò cognitio eius, in actu verò secundo est motio, ac determi-

natio formalis obiectiua: Agunt autem propter finem, DEVS homines, imò probabiliter & bruta. Instrumentum est id, quod vi suæ figuræ ac quantitatis tantùm concurrit ad aliquem effectum, ad quem assumitur: Omnis porro causa (quâ talis) debet existere prius naturâ suo effectu: Materialis, & Formalis est imperfectior suo effectu, Finalis verò aliquando, Efficiens etiam partialis, potest esse imperfectior effectu, Totalis nunquam.

IX.

IDem effectus non potest etiam supernaturaliter, à duabus causis adæquatis dependere, potuisset verò ab vna, nisi productus fuisset ab altera intra eandem speciem Mutua Causalitas repugnat, reproductio verò effectûs corrupti ex parte rei suppositis ijsdem quæ prius erant causis non repugnat. Agens Infinitum non omnino debet esse præsens passo vt efficiat, Agens quoq; creatum potest etiam immediatè agere in distans, & potest aliqua causa totalis physica mouere seipsam motu physico. Motus, etiam instantaneus, definitur esse, actus entis in potentia prout in potentia, subiectum ipsius in ordine ad Formam intrinsecam, est ipsum mobile, à quo realiter distinguitur, sicut & ab agente, & termino, estq; realiter vnio mobilis ad Formam.

X.

LOcus est vltima superficies corporis ambientis immobilis, potest res existere sine ipso; possunt duo corpora in eodem loco esse, ac vnum in pluribus locis esse, non implicat, etiam circumscriptiuè, in quibus tamen locis, non potest habere formas repugnantes in eodem loco; & potest per absolutam potentiam, cum replicato corpore, non replicari aliquod accidens absolutum ipsius. Vacuum naturaliter non supernaturaliter repugnat, in ipso terminato grauia, & leuia mouerentur, & progressiua in solido. Datur Infinitum Syncategorematicum, in magnitudine, Intensione, & numero, Categorematicum verò in extensione, & numero probabile est dari, non tamen in Perfectione creata. Dantur partes actu in Continuo, citra omnem designationem extrinsecam, de quibus nusquam certo conclusum est, an sint diuisibiles in infinitum, an uerò indiuisibiles Corpora non viuentia, non habent terminum suæ magnitudinis, secus viuentia. Sic cuncta metiente supremo Creatore, Ad cuius omnia hæc cedant.

Maiorem Gloriam, Honorem, & Amorem.

Defendentur à Fratribus Minoribus Reformatis in Conuentu Crac: ad S. Casimirum. Anno 1685. Die Mensis Horis pomeridianis.